

2

3.

4.

1779,17
DE
**QVIBVS DAM CAPITIBVS
IVRIS CIVILIS MALE NON
RECEPTIS**

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVSSVRGENS.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE XX. MAIL. ANNO C I S I C C C L X X I X .

DISPVTABIT

A V T O R

IOAN. GOTTL OB HENRICVS SEYFFARTH

WEYDA - VARISC.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .

DOMINO AETATE MAGISTERI CIVITATIS



DE
QABASDAM CAPITIBAS
LURS CIVIS MALLE NON
RESEHTI
LITERATIIS ET TORVAM ORBEM GERMATIA
D CHRISTIANO HENR. BREMING
IN AVADIGRIO TAVRIDIO
DISSEMINAT
ALTAZIA
JOAN. GOTLIBOR. HENRICAS SEYFFERTH
WESZA - LAMINA

LIPSIAE

PERILLVSTRI
ET
GENEROSSIIMO DOMINO
DOMINO
CHRISTIANO HENRICO
DE WATZDORF

DOMINO IN HOHEN - OELSEN ATQVE
SCHLOSBERGA

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE
CAPITANEO PRAEFECTVRARVM

ET

CIRCVLI NEOSTADIENSIS STEVRARVM
E NOBILIBVS RECEPTATORI

DOMINO AC MAECENATI GRATIOSISSIMO

PER REALIS ULTRIC
ET
CONCEPTIONIS SIMODE DOMINO
DOMINO DOMINICO
DE WATSDORFI
DOMINO IN HONORE ORTERE AUTOR
SCHOLASSERER
SEMINARIM ET GEOTEORIA SAXONIAE
CAPITANIO TRIAGETRARVM
ET
CIRCUS IN NOTVLDI NIGRA STEBARVM
A MARTEBAS REFORMATORI
DOMINO AC MAGNITA GRATIOSISSIMO

DOMINE PERILLVSTRIS

GENEROSSISSIME DOMINE

*P*otuisset DOMINE PERIL-
LVSTRIS me exiguitas me-
arum scientiarum deterrere a
meditato conamine, nisi in-
signis TVA indulgentia atque gratia in eos,
qui bonas literas trahant, spem mili face-
ret haud incertam, fore, ut audaciae veniam
ab ea sim impetraturus. Hac ergo spe fre-
tus PERILLVSTRE TVVM NOMEN
libello meo quamuis exiguo, summae tamen
animi mei pietatis, reverentiae atque sub-
missionis testimonio atque monumento ante-
ponere. Sint ergo haec studiorum meorum
Accademicorum primitiae TIBI sacrae at-

que dedicatae. Sint perpetuum documentum
meae in TE reuerentiae et submissionis.
At precor simul, velis non tantum audaciae
veniam indulgere, sed hoc specimen meae
qualiscunque doctrinae ea accipere gratia,
quae TIBI propria atque in TE omnes ve-
nerantur. Permitte vero etiam simul, vt
huic TVAE impensa gratiae me, meam
felicitatem meaque omnia obseruantissimis
interpositis precibus commendem, qui non
tantum pro TVA, GENEROSISSIMAE
que TVAE DOMVS perpetua felicitate
Deum precibus maſtabo, sed semper ero

NOMINI TWO
PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

LIPSIAE
DIE XX. MAI
MDCCCLXXIX.

addicſimus
IOANNES GOTTLÖB HENRICVS
SEYFFARTH.

DE
QVIBVS DAM CAPITIBVS IVRIS
CIVILIS MALE NON RECEPTIS.

§. I.

Est profecto, quod miremur, populares nostros maiores romanorum imperio haud subjectos passos esse peregrino seu exotico iure se judicari. Antiquissimis quidem temporibus Germani alter sentiebant; Suis enim iuribus regebantur: seu, ut TACITVS DE MOR. GERM. testatur: boni mores apud eos plus valebant, quam alibi bonaе leges; ac postea videretur popularitas Germanica antiquam illam rationem deseruisse et exotica magis appetuisse. Ipsa adeo iura patria exoticis postposita sunt, et ex illis peregrinis iuribus multa recepta, quae popularibus antiquis incognita, multa ad illorum dispositiones declinata, ut hodie magis peregrina instituta, quam patria esse videantur. Non late inquiram, quo factum sit modo, ut germanicae illae nationes a suis moribus, institutis et iuribus recesserint, quippe ab aliis iam toties dicta. Paucia tantum dicam de prima occasione iuriuum romanorum receptorum, quo dein de themate iudicium ferre possimus. Constat, in Italia nunquam obligandi vim amississe *Ius Romanorum*, extinto licet Imperio Romano et Italia a popularibus prope suppressa. Causa fuit mos, quem Germanicae gentes obseruarunt, quippe

A 3

quae

¶

quae victores vix unquam vicitis sua iura suosque mores imposuere, sed passi sunt, ut propriis suis iuribus iudicarentur et agerent. Patet huius asserti veritas ex *Alariciani breviario* ex fragmentis *collectionis Burgundiae*, quae sub *Papiani* nomine extat. Docent collectae illae formulae antiquae. Inde haud raro factum est, ut victores, suis iuribus ex moribus collectis et scriptis, Romana immisserent, quod maxime probant *Longobardorum* leges et aliarum gentium, quae Romanos olim habuere subditos deuictos. Haec satis trita. Factum hinc est, ut in terris atque prouinciis olim imperio Romano subiectis illud Romanum ius non omnino abolitum atque obliuione plane delectum sit; sed potius quaedam capita popularibus simul cognita facta. Post ybi Franci occidentale Imperium restituere, suppresso simul regno Longobardico, quamuis quaedam iura franca Italiam praescripta, quod patet ex *Albinagii* iure postea abrogato; tamen Romana iura obligarunt, ut videtur, etiam antequam studium iuris ciuilis restitutum et restauratum. Fuit itaque causa principalis hic iuris Romani valor, ut postea Ius Iustinianum eruditorum studia excitauerit, maxime cum, quae in foro atque iudiciis obtinerent, hoc iure continerentur. Post Imperio Carolingico extincto, cum Germani fese in iuribus atque possessione Italiae tamquam in terris vi victoriae quaesitis tuerentur, hoc adeo ius, quod antiquissimis temporibus valuerat, quod neque a Gothis, Vandalis, Longobardis, Francis suppressum, abolitum et abrogatum, sed subditis deuictis relatum, et, cum in libris Iustiniani contineretur iisque ex Exarchatu Rauennatensi non incogniti, factum est, ut postea Imperatoria auctoritate comprobarentur et Italiam confirmarentur, imo nouis legibus, ut patet ex *FRI-*
DERICI

DERICI, *Authenticis*, augerentur. Sed haec Italiam respiciunt. Quae vero haec ad patriam nostram? Sane multum. Nam cum Imperium Germanicum sua vindicaret iura et Augustissimus Germanorum Imperator, summus quoque Imperans in Italia esset, factum est, ut, quae lites inter Italos agerentur, demum ad ultimam Imperatoris decisionem prouocando devoluerentur. Iam bene visum est popularibus Italiam migrare, ibique iura illa apprehendere, quorum ope lites Italorum definire possent. Inde eruditis aditus ad tribunalia patescendi. Et cum non omnes, qui exoticum ius apprehenderant in aula Imperatoria accessum haberent, ut possent suarum doctrinaram messum facere, ad Germanorum causas litigiosas hoc apprehensum, ius applicarunt et ad patria iudicia traduxerunt. Neque id admodum difficile esse poterat, cum tot exercitus Germanorum in Italiam traducti iam instituta Romana experti essent, imo nonnulla iuribus illis exoticis comprobata forsitan recepissent, quale quid *de dote coniicio*. Sic in patriam studia illa apprehensa peregrinum ius attulerunt, donec Legibus adeo receptio illa confirmaretur.

§. II.

Receptum ius Romanum esse in foris Germaniae diximus. Sed iam quaerendum, qualis illa sit receptio. Forsan nemo erit, qui sibi persuadeat, omnia et singula fragmenta, constitutiones et rescripta, et quaecunque libris iuris Iustiniane continetur, ita recepta esse, ut ex iis decidantur lites et controversiae, ita ut nullum caput in iis libris contineatur, quod non hodie obliget. Hoc assertum si quis statuere vellet, omni experientiae repugnaret. Integra enim materia, quae seruorum Romanorum dominis competentia iura tractat, omni usum destitui-

B

desitu-

destituitur. Quis enim nostros *homines proprios*, quos
nostrates semper inter personas retulerunt, cum Romani
sui seruos rebus adnumerarent, ex Romano iure iudica-
bit? Scio quidem, nonnullos Iure Consultorum varia ex
legibus, quae de seruis Romanis agunt, capita applica-
bilia putare. Exempli loco adferunt, quae de persecu-
tione seruorum fugitiuorum in iure peregrino sancta,
quam opinionem etiam defendit, ni fallor, SCHILTER
Exercit. ad π. h. t. Sed si dicendum, quod res est, haud
difficile erit probare, fugitiuos homines proprios maio-
res nostros vindicasse, antequam peregrinorum iurium
notitia ad eos venit. Hinc ea magis ex patriis moribus
explicanda, neutiquam Romanum ius applicandum. Non
ergo omnia capita, sed multa capita iuris civilis recepta
esse, satis manifestum est.

§. III.

At iam oritur quaestio, quae illa sint recepta capita
atque argumenta iurium? Ii, qui rem accurate diuidicant,
argumentantur, ea ex iure Romano capita tantum esse
applicata atque recepta, quorum ratio conuenit aut po-
tius non repugnat moribus et institutis Germanorum.
Sed quamvis concedendum sit, hanc regulam sanæ ra-
tioni consentaneam esse, tamen vix generalis erit, ex
qua omnia recepta iurium capita possint constitui. Nam
neque ratio iurisprudentiae illorum temporum, quo pe-
regrina iura popularibus nostris innotuere, hanc regu-
lam probabilem reddit, neque etiam conspirat experien-
tia. Si enim ad tempora et methodum tractandi iuris-
prudentiam respicimus, facile patet, Iureconsultos Glo-
ssatores primam occasionem sua doctrina receptioni dedi-
se. Constat autem, hos ICtos Glossatores omni huma-
niorum

niorum, historiae, antiquitatum peritia destitutos, tamen exposuisse leges. Quis vero sibi persuadeat, hos ab his instructos doctos homines potuisse huius iuris legumque rationes eruire, quae sine accurata historiae, antiquitatum et legum secundum temporum ordinem positarum cognitione vix erui possunt, ut ex legis ratione cum moribus et institutis patriis comparata applicatio et receptio facta sit? Et quam paucissimi erant illorum temporum Iure-consulti Romani iuris periti, qui in Italia accurratam morum institutorumque patriarchum cognitionem habebant, ut legum rationes cum his comparare potuerint? Imo magis probabile est, ignorantiam rationum et iuris patrii et peregrini simul causam dedisse recipiendarum legum peregrinarum, nisi obessent inueteratae atque tritae consuetudines, quas, non ferebant populares, ut pellerentur foro. Sic omnis iurisprudentia Romana neque *nudis partis* obligationem adeo ciuilem adimere potuit, nec improbare successoria pacta. Hinc etiam factum est, ut postea RECESS. IMPER. NOR. §. 105. quo peregrini iuris in subsidium facta receptio comprobabatur, fieret hac restrictione, ut applicarentur leges peregrinae nach redlichen, ehrbaren und leidlichen Ordnungen, Statuten und Gewohnheiten der Fürstenthümer, Herrschaften und Gerichte.

§. IV.

In receptione itaque Iuris peregrini, quod temporum illorum ignorantia quasi vniuersale et omni humano generi datum arbitrabantur docti, duo inter alia commissa sunt vitia. Vnum est: Recepserunt enim applicando materias peregrini iuris, quas planè nec recipere, nec applicare antiqua gentium Germanicarum instituta patiebantur; Alterum: haud receperunt legum exoticarum dispo-

B 2

sitiones,

sitiones, quae non repugnante iure patri omnino recipi potuissent. Vbi sane verum est, recepta applicataque primum fuisse romana iura in Germania nulla habita cura rationum legum eruendarum, facile potuere in haec vitia illorum temporum Iureconsulti incidere. Veritatem vero utriusque asserti exemplis, quantum libelli breuitas patitur, probabimus.

§. V.

Capita iuris ciuilis romani applicata esse, quae plane applicari non debuissent, probat maxime confusio illa, quae adeo in leges prouinciales irrupit in materia *de dotalitio*. Ignorat ius romanum adeo causam et rationem dotalitii, vt in hoc iure plane nihil contineatur, quod argumento decidendarum contouersiarum esse posset, si de dotalitio quaestio oriretur. Erat dotalitium seu viduallium inuentum mere germanicum quodue nullam habebat aliam causam, quam vt vxori viduae factae prospiceretur respectu sustentationis et alimentorum. Cum enim contracto matrimonio exiret ex familia patris, et transiret in mariti familiam, quod assumptum mariti nomen probat, erat quoque a mariti familia alenda. Hi ergo sumtuus constituendo dotalitium definiebantur pacto. Non ergo ad successoria pacta referendum paetum, quo viduallium constituebatur, sed iure proprio atque perfecto alimenta a familia mariti vidua facta exigere poterat. Ne itaque postea lites super praefandis orirentur, pactis omnia definiebantur. Quid ergo materiam de dote illata, de donatione propter nuptias, de contractu vitalitio et de usuris propterea maioribus praefandis aduocabant ex iure peregrino, cum tamen Germanis ob dotem incognitam contouersiae juris Germanicae deciduae argumentum dare

dare non posset. Non adscribo, quae confusa iuris sit applicatio, nota sunt confusa illa iura forensia et breuiter exhibet PVTTERYS in Elem. Iur. Germ. et alii, qui Germanica tractant.

§. VI.

Possum et pactorum dotalium in iure Romano expositorum applicationem ad pacta nuptialia Germanorum adducere, in quibus posterioribus mox pactum donationis inter viuos, mox mortis causa donationis inuenierunt, cum pacta successoria in romano iure non deprehenderent, quasi male actum esset, ni ius Romanum applicarent, quamuis male. Possem et alia capita male applicata adducere: Sed videamus potius, an capita iuris civilis ad sint, quae applicari potuerint, at in foro recepta non sunt. Videor inuehiſſe caput iuris Romani in quadrupedaria actione, cuius receptio male neglecta videtur. Sancuerant Decemviri, vt, *si pauperiem quadrupes fecisset, dominus noxiā sarciret aut animal noxiæ daret.* Sapientissimo consilio hoc dispositum erat. Cum enim requireretur, vt a quadrupede damnum contra naturam sui generis citra domini culpam datum sit, iustum videbatur Romanis, dominum non in maius pretium condemnare, quam animalis, quod nocuerat. Electionem ergo concedebant domino animalis, vt si aestimatio quadrupedis superaret damni aestimationem, hac praestita, se liberare posset, si vero, si maior esset damni aestimatio, quam quadrupedis, damnum passus contentus esse debebat, si quadrupedem noxae acciperet, ne ultra eius aestimationem obligaretur dominus, cui nulla damni dati culpa tribui posset. Forum noxae ditionem non recepit. Male sane! IVS PROVINC SAXON. L. II. art. 40. Aut damni restitu-

B 3

tionem

tionem domino imponebat, aut permittebat, vt se liberaret ab actione animalis. Poterat ergo is, qui damnum passus animal abactum capere, vt ex eo damni aliquam restitutionem caperet. Non ergo repugnabat Romana noxae deditio huic animalis abactioni. Vtraque lex nollet dominum vltra animalis aestimationem vel iacturam coercere. Poterat ergo cum abactio animalis periculosa esse possit et plus damni metuendum, noxae deditio recipi. At teste CARPOVIO in Pr. Crim. Qu. 131. n. 19. si recipit animal nocens praecise ad damni restitutionem solvendam obstringitur, licet nocens animal alteri dare paratus sit: quae sententia eo iniustior, qua, ne periculum aliis fiat per abactionem animalis, in grauiorem summam damnatur, quam animalis nocentis fert aestimatio.

§. VII.

Possem forsitan inter male neglecta et non recepta capita ciuilis iuris referre materiam de *diuortiis* et *repudiis*. Si enim ea, quae alit forum iura, consideramus in foro Protestantium, qui tamen negant, et negant recte, subesse matrimonio *sacramentum*, plane nulla adest excusatio, cur conclusa Pontificii iuris, quod matrimonium inter sacramenta refert, recepta et seniora iuris ciuilis capita neglecta sint. Sed abstineo ab hoc capite, potius non receptum caput iuris ciuilis ex materia de aleatoribus hic refero. Ius Romanum permittebat, vt, quae alea perdita, possent condici, si soluta essent. Probant verba Edicti IVSTINIANI in L. 2. C. de aleat. Hac generali lege decernimus, *ut nulli liceat in publicis vel priuatis domibus vel locis ludere, neque in genere, neque in specie: et si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio; sed solutum reddatur et competentibus actionibus REPETATVR ab his, qui dederint, vel eorum*

eorum heredibus: aut his negligentibus, a patre aut defensoribus illius ciuitatis: vel recipiat fiscus, non obstante, nisi quinginta annorum, praescriptione. Dubium non est, analogiae iuris, quae prohibet aleam, ut ex actu prohibito ius et obligatio existere nequeat, hanc exotici iuris dispositionem maxime conuenire: tamen non recepit forum, immo potius apud nos inter CONSTITUTIONES EDITAS una extat, qua expresse contrarium statuitur, ne videlicet iusu perdita soluta condicantur.

§. VIII.

Addimus ex tot aliis capitibus, quae adduci possent, si paginae patarentur, unicum caput peregrini iuris non recepti. Permittit lex Romana, ut, si in litem iurandum sit, indefinite et pro arbitrio laesus damnum iuramento aestimet. Recte si naturalia sequimur iura. Imputet enim sibi is, qui alteri iniuste damnum dedit, ut secundum animi affectionem laesus, qui optime damnum, quod patitur, iudicare potest et aestimare, etiam aestimet, quamvis illa aestimatio forsan grauis sit ei, qui damnum restituere debet. Satis erat, seruare per leges iura salua laeso, dato tamen iudice iure temperandi nimiam forsan lucrandi cupidinem laesi. Haec nota. At cur ab his recessit forum atque absurdam illam distinctionem iuramenti in litem veritatis et affectionis recepit, quae distinctio, ut recte iudicat HEINECCIVS in Doctr. π. L. XII. T. III. §. 33. inuita Themide introducta.

RESPONDENTI DIGNISSIMO

S. D. P.

P R A E S E S

Semper, per quae tempora meas frequentasti scholas, non solum assiduitatem et diligentiam TVAM probavi, verum doctrinae egregiae TVAE elegantissima mihi in privatissimis exercitationibus examinatorii dediti specimina, ut examinando vires cum summa voluptate explorarem, bene sciens, egregias TVAS futuras responsiones. Quid mirum, quod lubentissime munus Comitis ad cathedram publicam susciperem, cum libellum a TE elaboratum corrigendum exhiberes. Paucissima fuere in eo, que non corrigenda, sed temperanda tantum erant. Iam cum non sine laude examen publicum superasti, gratulator alterum specimen scientiarum TVARVM adhuc superandum, quod non minori gloria TE superaturum certissime confido. Faxit DEVS O. M. ut digna TVA diligentia capiat praemia. Sane sicuti de diuina prouidentia TVI curam habenti non dubito; ita TE rogo, ut me amare nunquam desinas meique memoriam sancte serues. Promitto, me omni tempore et fidissimum et paratissimum futurum amicum. Vale scribeb. Lipsiae d. XVIII. Maii CCCCCCLXXIX,

Leipzig, Diss., 1779 A17



1779, 17

DE
QVIBVS DAM CAPITIBVS
IVRIS CIVILIS MALE NON
RECEPTIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE XX. MAII. ANNO CCCCCCLXXIX.

DISPVTABIT

A V T O R

IOAN. GOTTLLOB HENRICVS SEYFFARTH

WEYDA - VARISC.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .

